

LIBER ^(III) TERTIVS,

De

Operatione Secunda,

ACCENSIONE ET VSTIONE.

CAPVT PRIMVM,

De Calcibus & Cineribus.

Quemadmodum in Euaporatione ignis vis refracta & modificata est, minusque libera, aucupandis abiturum meditantibus particulis, examini eiusdem commissis; Ita penitus & sola quasi admissa (accensio, flamma) producta offert alia, & nominatim primo loco CALCES.

Enimuero contraria quasi est ipsi Euaporationi Calcinatio, non tam prius, quam posterius, non tam auolans, quam in fundo relictum respiciens. Hinc fundamentum consistit, non tam in exaltatione sulphuris, vt in Euaporatione, quam destructione vel quasi. Exhibent enim partim destructum sulphur, vt quoad consistentiam, partim ita alteratum, quoad vires.

Fatiscunt hinc in puluerem, vel priorem saltim cohesionem amittunt Calcinata, itidem tamen *Δύρεσιον* præstantia manifestum. Fixatur sic sulphur, & cum particulis salinis fixis ac terreis remanet, propulsis reliquis volatilibus aqueis, sulphureis, salinis, mercurialibus, vnde non potest non alium modum consistentiæ, coloris, viriumque acquirere.

Magis hinc etiam debetur fixioribus, si non a priori, saltim a posteriori talibus, mineralibus tamen & metallis, præ vegetabilibus & animalibus. Hæc enim sunt tenerioris
tex.